



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**D. D. Emanuelis Gonzalez Tellez, In Inclyta Salmanticensi
Academia Collegii Majoris Conchensis Alumni, &
antiquioris vespertinæ Sacrorum Canonum Cathedræ
propriarii Interpretis; in Pinciano Sanctæ ...**

Additis Notis uberioribus ab Historia, & Chorographia

Complectens Librum Qvintum

González Téllez, Emanuel

Francofurti Ad Moenum, 1690

Titulus XI. De infantibus, & languidis expositis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74544](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74544)

TITULUS XI.

De infantibus, & languidis expositis.

CAPUT PRIMUM.

^a Gregorius XI.

SI à patre, sive alio, ^b sciente ipso, aut ratum habente (relegato pietatis ^c officio) infans expositus extitit, hoc ipso à potestate fuit patria liberatus. Nam in hoc casu in ingenuitatem libertus, & servus ^d in libertatem eripitur. Quod & de prædictis cujuscumque ætatis ^e languidis, si expositi fuerint, vel si alicui eorum alimenta impiè negari contigerit, est dicendum. Sanè qui hoc suscipiunt, non possunt propter hoc in eorum personis jus aliquod vindicare.

NOTÆ.

- ^a Gregorius IX.) Qui ut fuit juris civilis peritissimus, nonnullas edidit constitutiones ex visceribus juris civilis depromptas, in hoc volumine transcripserat, inter quas ut præcipua recensetur præsens, quam deduxit ex novis constitutionibus Justiniani relatis in *l. penultim. & ultim. C. de infantibus expositis*, eamque edidit.
- I. ^b Scientes.) Secus verò si ignorante, ut in *l. uxorem 29. ff. de manumiss. testam.*
- ^c Pietatis officio.) Et amoris naturalis, de quo egi in *cap. 2. de presumpt.* quare jure naturæ tenentur parentes liberos educare, illisque alimenta præstare, *l. 1. §. jus naturale, ff. de justit. & jure*, *l. Nefennius 34. ff. de negot. gest. l. alimenta 11. C. eod. l. capite, alias qui liberos, ff. de rit. nupt. l. si quis ad liberos, §. 1. l. 4. ff. de liber. agnosc. l. 3. & §. 4. C. de alend. liber. l. unic. §. taceat, vers. Sileat, C. de rei uxor. actione, l. final. §. ipsum, & §. filii autem, C. de bonis qua liber. probavi in *cap. cum haberet, de eo qui duxit in matrim.* atque ideo contra naturales stimulos facere dicitur, qui tuendi, & educandi filii curam detrectat, in *l. amicissimos 36. §. 1. in fin. ff. de excusat. tutor.* nam cum omni generi animantium primò hoc sit à natura tributum, ut se, vitam, corpusque tueatur, & eleganter prodidit Cicero, cujus sententia comprobata extat in *l. 3. ff. de justit. & jur.* & qui liberorum educationi non studet, hospitatemque eorum non curat, prolem propriam necatè dicatur in *l. necare 4. ff. de liber. agnosc. l. ultim. titul. 20. partit. 4.* Illustrant Faber in *Papin. titul. 5. princip. 2. illat. §. & titul. 8. princip. 5. illat. 2.* Osualdus *lib. 2. Donel. cap. 24. littera B. & lib. 14. cap. 27. littera l.* Forner. *lib. 2. rer. quotid. cap. 20.* Menoch. *de arbitrar. casu 396.* Petrus Gregor. *lib. 11. synag. cap. 10. & lib. 15. cap. 28. anm. 5.* Lara *de Capellanis lib. 1. cap. 21. à num. 67.* latè & eleganter Gratianus *tom. 2. discopt. capit. 267. Carranza de partu, cap. 4. num. 56.* Ideo rectè Gre-
D. D. Gonzal. in *Decretal. Tom. V.**

gorius in præsentia ait, patrem filium exponendo, relegato pietatis officio procedere. Accedit nam ut ait Lactantius *lib. 6. divin. instit. cap. 20. tam nefarium, inquit, est exponere, quàm necare;* immò Justinianus similes patres tantò peiores homicidis judicat in *novell. 153.* quantò miseresiores sunt hi, in quos crudelitatem exercent: & certè qui exponit, parum est ut videatur occidere, cum rarò contingat, ut expositi vivant, ut ait Quintilianus *declamat. 306. Nec enim per eos stetit, quin moreretur, nisi misericordià divinà erepti fuissent.* Unde ait Clemens Alexandrinus in *eclogis*, partus & infantes expositos, Angelis curandos & tractandos committi. Hinc apud Tacitum *lib. 5. histor.* necare pro exponere dicitur, ubi Lipsius pro *agnatis, gnatis* legit. Illustrant Bernegerus in *Tacitum quest. 111.* Forner. *lib. 1. rer. quotid. cap. 20.* & Patres exponentes filios absque extrema necessitate, peccare lethaliter probant Fragofo *part. 3. de regim. lib. 1. disp. 2. §. 3.*

^d Servis libertatem.) Hi pridem ex edicto Claudii Imperatoris Latinam libertatem assequabantur, idest in libertate morabantur, dum viverent: eorum verò cum mortui essent, bona patronus vindicabat. Suetonius in *Claudio, can. 25.* ibi: *Cum quidam agra, & affecta mancipia in insulam Æsculapii tedio medendi exponerent, omnes qui exponerentur, liberos esse sanxit, nec redire in ditionem domini, si convalescent.* Et *l. 2. ff. qui sine manumissione ad libert. l. 2. §. sed scimus, C. de Latina libert.* Vnde credi potest, Tribonianum in *l. 2. C. qui sine manumissione ad libert.* Latinæ libertatis mentionem sustulisse, quia sublata fuerat dicta constitutio legis unicæ Latinæ libertas.

^e Languidis.) *L. 9. §. si ipse servus, ff. de peculio. Osualdus lib. 2. comment. Donel. cap. 26. littera A. Cabedo decis. 187. numer. 6. & 7.* immò etsi servus sanus à domino pro derelicto habeatur, efficitur liber, si prius se occupet gerendo se pro libero. Gloss. 1. & ibi Salicetus in *dict. l. unic. §. sed si scimus, C. de Latina libert.* nam si prior dominus, vel alius prius occupet, occupanti acquiritur, *l. ult. ff. pro derelicto*: si autem Do-

X 2 minus

minus servum pro capitali culpa caprum negligat, seu eum non defendat, non ideo dereliquisse eum videtur, immò si absolutus fuerit, ad ejusdem dominium revertitur, *l. servus, ff. de statu hominum, l. sciendum, ff. de public. judic.* Cabedo de *deci.* 126. num. 8. Ut enim per derelictionem amittatur dominium rei nobilis, desideratur factum abjectionis, quod sit contrarium retentioni simul cum animo amittendi dominium, *l. quemadmodum 38. §. 1. ff. de noxal. l. quod servus 36. ff. de stipul. servor. l. 1. §. 2. pro derelicto, ubi notat Cujac. libr. 54. Pauli ad edictum, & lib. 21. observ. cap. 8. Connanus libr. 3. comment. cap. 3. Donel. lib. 4. cap. 13. in qua parte observandi sunt textus in l. 2. §. ultim. l. qui levanda 8. ff. ad leg. Rhodiam, l. interdum 12. §. 1. & sequent. ff. de acquir. possess. l. si servus 13. de statu hominum. l. ille, 9. ff. qui & à quibus, leg. sciendum 9. ff. de public. judic. l. ult. ff. de civit. leg. 2. de sentent. passis, l. sed etsi 5. qua in fraudem cedit leg. nemini 24. Cod. de Episcop. aud. l. 20. ff. ex quibus causis majores, l. 43. §. 4. cum sequent. ff. de furt. leg. penult. ff. de rerum divis. l. 6. ff. de stipul. servor. l. 45. juncto Cujac. ibi, de nuscup. l. 28. §. fin. autem, Cod. de Episc. & cleric. leg. 7. §. 1. ff. de damnò infecti. l. si quis decedens, §. qui verò, ff. de solutionibus.*

COMMENTARIUM.

4. **Conclu-** **EX** hac Gregorii constitutione talem deduco **sio tra-** **Assertionem:** Pater exponens filios amittit jus **ditur,** patrie potestatis, suscipientes vero eos nullum in **Et pro-** **in eorum personas acquirunt.** Probant eam textus **batur.** in l. 2. 3. 4. C. hoc tit. leg. nemini 20. C. de Episcop. aud. l. nutritoribus, C. communia de success. leg. unic. §. sed scimus, C. de latina libertate. Consonant de jure Regio lex 1. cum sequent. tit. 23. lib. 4. fori, lex 4. tit. 20. partit. 4. Illustrant ultra congeltos à Barbofa in presenti, Acunna, Turriscremata, & Dartis in cap. si expositus, 87. dist. Cujac. ad tit. Cod. de infantibus exposit. & lib. 16. observ. cap. 36. Forner. lib. 2. rerum quotid. cap. 20. Balduinus ad leges Romuli, cap. 18. Faber. lib. 2. conject. cap. 10. Velascus de privil. pauper. 2. p. quest. 65. per totam, D. Ioannes Vela de delictis cap. 9. quem transcriptit Otero p. 3. diversarum questionum, quest. 11. numer. 3. Decianus lib. 9. tract. crimin. cap. 8. Petrus Gregor. lib. 15. syntag. cap. 28. & lib. 3. de repub. cap. 3. & lib. 4. partit. tit. 13. cap. 3. numer. 75. Filelacus de orig. parricid. cap. 4. fol. 647. Bignonius in notis ad Marculsi, fol. 613. Narbona de etate ad actus humanos, anno 7. 9. 32. Lindembrog in Glossario, verbo Expositi, Cotvinus lib. 4. Aphorism. jur. Pontif. tit. 12. Revard. lib. 1. conject. cap. 17. & lib. 3. cap. 1. Solorzanus de parricid. lib. 2. cap. 5. Moronus respons. 66. Ant. August. lib. 14. epit. jur. tit. 19. Fragofo p. 3. de regim. Christ. Reipub. lib. 1. disput. 2. §. 3. Bernegerus in 99. ad Tacitum, quest. III. Barbofa de potest. Episc. alleg. 51. & lib. 2. juris eccles. cap. 3. Ant. Matthæus de crimin. ad lib. 47. tit. ult. cap. 2. D. Ioannes Ramos de pœna parricid. lib. 7. in princip. & lib. 8. pag. 476. I. Gothofredus ad tit. Cod. Theodos. de expositis, ejus Pater in leg. 4. Cod. de lib. agnosci. Carranza de partu, cap. 4. n. 38. Cujac. lib. 16. observ. cap. 36. Lara de Capellan. lib. 1. cap. 21. num. 66. Osualdus lib. 2. Donel. cap. 26. list. F.

Sed hæc assertio tam in prima, quam secunda ejus parte difficilis redditur sequentibus juris considerationibus. Prima nascitur ex eo, nam inter præcipuos patrie potestatis effectus ille recensetur, videlicet ut pater consensum præster nuptiis filiorum, *l. Paulus, ff. de statu hominum, §. 1. Inst. de nupt.* fusè probavi in cap. 1. de despons. impub. Sed in nuptiis filia exposita desideratur consensus patris exponentis, *l. patrem 16. de nupt.* Igitur quia parentes filios exponentes non amittunt patriam potestatem. Faciunt textus in *l. uxorem 29. ff. de manum. testam. l. 1. §. si quis 2. ff. de juris & facti ignor.* Accedit, nam Patres jure communi attento jam ex lege Romuli in 12. Tabulis translata, jus habent vendendi, seu oppignorandi filios, *l. final. Cod. de patrie potest. l. 1. C. de patribus qui filios distraxerunt;* immò si eò miseriarum ducti sunt, ut aliter vivere non possint, filiorum carnis vefci posse, constat ex *l. 8. tit. 17. part. 4. Casseguel fuero real de Espanna, siendo el padre cercado en algun Castillo, que toniesse de Señor, si fuisse tan cuidado de hambre, que no huiesse alque comer, puede comer al hijo sin malestancia.* Facit textus in cap. 6. lib. 4. Regum. Eleganter D. Hieronym. lib. 3. super Amos, ibi: *Nihil enim fame durius, qua sape compellit obsessos humanis vefci carnis, & in suam sevirè naturam; ita ut neque parentes parvulis liberis parcant, & maritalis affectus uxoris dum amate membra dilaceret.* Igitur si pater filium vendere, immò & illius vefci carnis impunè potest, multò magis illi licebit filium exponere. Secunda etiam pars assertionis, ubi docetur, alentem filium expositum nullum jus in eum consequi, difficilis redditur ex eo, nam five jus civile, five Pontificium attendamus, is qui filium expositum aluit, potest illum retinere ut filium; vel ut servum, *l. 1. C. Theodos. de expositis,* ubi Constantinus statuit, ut cujuscunque conditionis esset is, qui expositus fuisset, dominio ejus cederet, qui sustulisset, & ejusdem arbitrato, vel tanquam ingentium, vel tanquam servum posse retinere. Additur in *l. 2. C. eod. tit. Si modo testes Episcopalis subscriptio fuerit subsequata;* id est si de hac re contestatio habita est, ne ulla penitus ad securitatem possit esse cunctatio: nam ex hac contestatione appareret, eam collegisse expositum non malo more, aut mala fide quævisse & captasse (de quo captandi more inter alia vide Tertulliani locum lib. 1. ad nationes, cap. 16.) Juxta quas legitimas sanctiones idem sanxerunt Patres Synodi Arelat. 2. can. 32. ibi: *Si expositus ante Ecclesiam cujuscunque fuerit miseratione collectus, contestationis ponat epistolam, & si is, qui collectus est, intra decem dies quæsitus, agnitusque non fuerit, securus habeat qui collegit. Sanè qui post prædictum tempus calumniator extiterit, ut homicida ecclesiastica districtione damnabitur, sicut Patrum sanxit auctoritas.* Refertur lib. 6. Capitul. Carol. cap. 142. & in Concilio Vasensi can. 9. ibi: *De expositis, quia collata ab omnibus querela processit, eos non misericordia jam, sed canibus exponi, quos colligere calumniarum metu, quamvis infelix à præceptis misericordia mens humana detreteret, id observandum est, ut secundum statuta fidelissimorum Augustorum, pissimorumque Principum, qui quis expositum colliget, Ecclesiam contestetur, post contestationem colligat; nihil omnium*

ominus de altari Dominico die minister annuntiet ab Ecclesiastico expositum esse collectum, ut intra dies decem ab expositionis die expositum recipiat. Si quis se probaverit agnovisse, collectori pro ipsorum decem dierum misericordia, prout valuerit, ad presens retribuat; aut in perpetuum cum Dei gratia, si voluerit possideat. Si quis expositorum hoc ordine collectorum repetitor, & calumniator extiterit, ut homicida habendus est. Ad quod jus collecti & distracti infantis expositi spectat vetus formula, quæ reperitur inter veteres formulas editas à Lindembrogio, & Bignonio ordine 11. in hæc verba: Nos quoque in Dei nomine, in matriculari Sancti illius, dum matutinis horis ad ostia ipsius Ecclesia observanda convenissemus, ibique infantulum sanguinolentum periculo mortis imminentem, pannis involutum invenimus, & ipsum per triiduum, seu amplius, apud plures hominum inquisivimus, quis suum esse diceret, & non invenimus: cui nomen ipsum imposuimus, sed postea pietate interveniente, & Domini misericordiâ opitulante, ipsum infantulum homini alicui nomine illo ad nutriendum dedimus, ut si Deo præsido convalesceret, ipsum in suis servitiis, ac solatiis secundum legis ordinem retineat. Pro quo pretium accepimus, in quod nobis bene complacuit, valens sol. tantos, & ut præfens epistola firmiter sit, manibus propriis eam subterfirmavimus, & bonis hominibus roborandam decrevimus secundum sententiam illam, que data est ex corpore Theodosiani lib. 5. dicentem: Si quis infantem à sanguine emerit, si nutritum dominus, vel pater eum recipere voluerit, aut ejusdem meriti mancipium, aut pretium, nutritor quantum valuerit, consequatur. Similem formulam refert. Cujac. ad Paulum lib. 5. sentent. titul. 1. Igitur non rectè in præfenti asseritur, suscipientes infantes expositos nullum jus in eorum personis acquirere.

6. Quæ dubitandi ratione non obstante, vera est præfens assertio, pro cuius expositione sciendum est, vetustissimum fuisse diversarum nationum morem exponendi infantes; nam apud Hebræos usum illum invaluisse, constat ex facta pagina Exodi cap. 22. Iosepho lib. 2. antiq. cap. 5. Philone lib. 2. de vita Moysis, ubi de Moyse exposito agitur: & de Ezechiele Propheta refert Clemens Alexandrinus lib. 1. Strom. ibi: Mater que me peperit, abscondit me tres menses, ut dixi: cum autem latere non possem, exposuit. Atheniensibus non tam moribus, quàm lege receptum fuisse filios exponere, ex Aristotele lib. 7. polit. capit. 16. tradit. Samuel Petir. ad leg. Atric. lib. 2. titul. 4. De Græcis idem constat ex Diodoro Siculo lib. 5. Biblioth. cap. 6. Seneca in Thebaid. ubi de Oedippo ait:

— Testes damnavit parens,
Et in alta nemora pabulum misit feris
Aoidis, avibusque, quas Cytharon noxius
Alit.

Terentio in Menandro, actu 4. scena 1. Aliano lib. 2. varia histor. cap. 17. De Romanis, & aliis idem referunt Iustinus lib. 1. & 41. Herodotus in Clito, Valerius Maximus lib. 1. cap. 7. Alianus lib. 12. varie histor. cap. 42. Livius lib. 1. Dionys. Halicarnassensis lib. 1. Plutarchus in Romulo, & de Fortitudine Romana Plinius lib. 14 cap. 18. Manil. lib. 4. Astron. Constantinus Menaffes annal. pag. 42. Strabo lib. 5. geograph. Varro lib. 2. de rer. verb. Ruminatis. Plerumque autem exponerentur in mari, aut flumine. Ezechiel Tragi-
D. D. Gonzal. in Decretal. Tom. V.

cus in Isagoge de precept. Pharaonis, ibi: Deinde jussit, ut Hebræorum gens masculos jaceret in profundum fluvium. Ovidius lib. 3. Fastor.

Amne jubet mergi geminos scelus, indere-
fugit:

In sicca pueri destituntur humo.

Aut in deserta loca: idem Ovidius epist. 11.

Iamque dari parvum canibusque avibus-
que nepotem

Inserat, in solis destituitque locis.

Exponebantur etiam in rupibus, aut sub arboribus: & qui relictos inveniebant, aut credebant, aut fingeant ex filice excusos, aut sub arborum corticibus conceptos. Alludit illa, quæ in Æneam accensa profatur, precaturque apud Virgilium lib. 4. Æneid. ibi.

Nec tibi Diva parens generis, nec Dardanus
auctor,

Perfide: sed duris genuit te cæcibus horrens
Caucasus, Hyrcanæque admorunt ubera ti-
gres.

Ita ludunt Poëtæ, ita casum attollunt. Statius 2. Thebaid. de puero regio.

Non tibi digna puer generis cunabula tanti,
Gramineos dedit herba toros, & vimine querno
Texta domus, clausa arbutei sub cortice libri
Membra tepent.

Et qui liberos exponebant iis crepundia nonnunquam appendebant, & annulos inferebant, quibus postea à suis agnoscerentur. Terentius Heautont. actu 4. scen. 1.

— Ut stulta & misera omnes sumus
Religiose: cum exponendam do illi, de digito
annulum

Detraho, & ei dico, ut unâ cum puella ex-
poneret,

Si moreretur, ne expers partis esset de nostris
bonis,

Plautus in Rudente.

Cistellam istic inesse oportet caudeam in isto
vidulo,

Ubi sunt signa, queis parens noscere hæc pos-
sit suos,

Quibuscum parvaperiit Athenis, sicut dixi
prius.

Notavit Petavius in notis ad orationem 16. Themistii. Et expositis nutriendis locum amplissimum ædificasse Trajanum in monte Cælio, refert Sabellicus in ejus vita, ubi erat columna lactærea in foro olitorio ad exponendos infantes, ut referunt Festus Pompejus lib. 10. Alexand. ab Alex. lib. 2. dier. genial. cap. 12. Ex quibus & aliis notarunt Revardus lib. 1. conject. cap. 17. Solorzanus de parricid. lib. 2. cap. 5. Escobar de ratioc. cap. 25. num. 46. Gratianus tom. 2. discept. cap. 267. Beyerlinch tom. 3. theatri, verbo Expositi. Apud Catholicos infantes exponuntur ad valvas Ecclesiæ. Concilium Matiscon. can. 6. apud Burchardum lib. 3. cap. 200. Carnotensem part. 3. cap. 252. ibi: Ut unusquisque presbyter in sua plebe publicè annuntiet, ut si aliqua femina clanculo correpta conceperit, nequaquam filium, aut filiam suam interficiat, sed quocumque prævalet ingenio, ante januas Ecclesiæ partum deportari, ibique poni faciat, ut coram sacerdote in crastinum delatus, ab aliquo fidei suscipiatur, & enutriatur. Et leg. ultim. Cod. hoc titul. Et apud Græcos infantes recens natos à matribus in Ecclesiarum atris exponi solitos, probat Balsamon in Canon. 33. epist. D. Basilii ad Amphilocho. & constat ex libro 3. juris Græ-

eo. Rom. ad calcem num. 2. ibi: *Illud queritur, an sint puniendi, qui proprios filios in atriis, & aditibus Ecclesiarum exponunt? Tandem synodali sententiâ responsum est, mulieres istas, ut homicidas puniri, etsi infantes ab aliquibus educentur.* Modus exponendi apud antiquos erat in vasculo ex papyro facto, ac bitumine illito infantem imponere, seu in cantharis, ut probant Demsterus lib. 1. ad Rosinum cap. 1. Avendanno de metu lib. 2. cap. 30. Ne verò periculo evasi, grandiores facti amitterentur à parentibus, solebant veteres notas quasdam eorum corporibus imprimere. Justinus lib. 4. 4. ibi: *Tunc & linteamentorum similitudine, & notis corporis, que iniusta parvulo fuerant, nepos agnitus.* Immo ne privarentur omni modo bonis paternis, in corbe aliqua pretiosa exponebantur. Ezechiel supra at. i. Terentius in Heautont. act. 4. sc. 1.

Cum exponendam do illi, de digito annulum Detraho. & ei dico, ut unâ cum puella exponeret.

Si moveretur, ne expers partis esset de nostris bonis.

7. De prohibita filiorum expositione.

Verùm hanc filiorum expositionem improbarunt Thebani, lege lata ne liceret cuivis civi exponere infantes, ne in solitudine abijcere, poenâ capitis adjectâ, teste Eliano lib. 2. varia histor. cap. 7. quem refert Novarin. lib. 6. aque nupt. cap. 55. Nec minus Romulus latâ lege vetuit. Livius lib. 1. nisi monstrosi essent: quia ut ait Seneca lib. 5. contro. vers. 3. *Nascuntur quidam aliqua parte corporis mutilati, infirmi, & in nullam spem idonei.* Et expressius rationem reddit lib. 1. de ira, cap. 15. ibi: *Liberos quoque, si debiles, monstrosique editi sunt, mergimus: non ira, sed ratio est, à sani inutilia secernere.* Illustrat D. Josephus de Retes lib. 1. opus. cap. 1. Ex lege etiam Romuli licebat filias exponere, quia magis quàm filii familiam gravabant, ut constat ex Halicarnasseo lib. 2. cap. 15. ibi: *His institutis Romulus civitatem aquâ bello, ac paci reddidit habilem; magnitudini verò ejus, ac frequentia ita consuluit: primò necessitatem colonis imposuit educandi quidquid esset masculum, & ex filiabus primogenitas.* Ergo ceteras permittit necate, vel exponere. Rationem exponit vetus Poëta Meander apud Stobæum in florilegio, tit. 77. versus sunt juxta vulgarem versionem Latinam.

Filia molestum, incommodumque peculium est:

Quantumvis inopes filios tollunt omnes, At filias exponunt etiam divites.

Quam Romuli legem illustrant ejus politicam rationem reddentes, Petrus Gregor. lib. 13. de republ. cap. 15. ex num. 16. Philippus Beroaldus ad Apuleium lib. 10. de asino aureo, latè Carranza de partu cap. 4. de partu exposito, ex num. 28. & Justinianus in Novell. 153. hanc expositionem execratur asserens, exponentium crudelitatem tantò deteriorem homicidio, quantò in calamitosiores exerceatur. Hinc in leg. 3. tit. 23. lib. 3. fori, leg. 4. tit. 20. partit. 4. cavetur: *Que todo home que defechar e ninno alguno, ò no bouiere quien lo tome para criar, ò muriere, el que lo echa, muera por ello, ea pues el hico cosa porque muriesse, tanto es como si lo matasse.*

8. Traditio ratio de cidenti

His suppositis apparet ratio præsentis constitutionis; nam cum cunctis animantibus à natura insita sit propensio quædam ad educandos fœtus, teste Tullio de natura Deorum; quam propensio-

nem stimulum vocat Justinianus in l. unie. §. sicut, C. de rei uxor. action. illustrant Plutarchus in lib. de vera Philosoph. Favorinus apud Gellium lib. 12. nocturnum, cap. 1. probavi in cap. 2. de convers. infidel. ideo quia contra hanc naturalem propensionem filios exponunt, amittunt patriam potestatem, quia filium suum dicere non possunt eum, quem pereuntem contemplerunt, l. 2. C. hoc tit. Sed nec collectores, & educatores jus illum dominii, aut parentis in eos, velut in filios, aut servos habere possunt. Non dominii, quia etsi pro servo expositum habuerint, assertio tamen non denegatur ei, qui ex hujusmodi causa in libertatem vindicatur, nec ipsa libertas redimitur pretio alimentorum, ut Trajanus Plinio rescribit lib. 10. epist. 72. facit lex 1. §. 1. vers. *At si quis, ff. de juris & facti ignor.* juncto Cujacio lib. 44. Pauli ad edict. ibi, colum. 3. in princ. Non patris, quia talis educatio pro adoptione non cedit: & si susceptor filii loco expositum aluerit, alimenta tamen repetere potest, l. 1. C. hoc tit. l. 4. §. si minor, ff. de doli mali excepti, Quintil. declamat. 278. ubi de filio exposito, ac tandem à patre naturali agnito differens ait: *Vis scire quàm pater non fuerit? Recipere illum nisi solutus alimentis non potuisti.* Quod procedit nisi educator furis animo sustulerit, l. 1. §. 3. C. hoc tit. novel. 153. Justin. vel si pietatis tantum respectu alimenta præstiterit sine spe restitutionis, quo casu omnem cessare restitutionem, constat ex l. duobus 27. l. Nefennius 34. ff. de negot. gest. l. cum is qui 32. §. penult. ff. de condict. indeb. vel si pater ita pauper sit, ut non habeat unde alimentorum impensam solvat, qui tunc ea perdet, quia expositum sustulit, l. si autem 27. §. fin. cum l. sequentibus, l. in fundo 38. ff. de R. P. Manent ergo filii expositi liberi prorsus ab omni potestate, & quoad statum habentur pro legitimis, eo quod in meliorem partem præsumendum sit, cum non tantum spurrii, sed & legitimi nati exponi soleant: idque etiam historiarum summis viris contigisse memorant, veluti Moyse, Cyro, Paridi, Oedippo, atque etiam Reginæ Babyloniorum Semiramidi. Nec solus pudor, aut infamiae metus expositionis causa est, sed & necessitas aliqua, aut instans periculum, aut egestas extrema. Cum igitur quamplures causæ sint, cur non eam capiemus, quæ favor conditioni expositorum. Ideo communior & pia sententia fert, filios expositos censerit legitimos quoad dignitates, ad sacros ordines: & ita Gregorius XIV. in Bulla edita anno 1591. Docent Paleotus de nobis, & spurriis cap. 63. Majolus de irregul. lib. 1. cap. 11. plures congesti à Barbosa in collect. §. 6. tom. in select. in præsentem rubricam, & de potest. Episcop. alleg. 51. num. 149. Lara de vita hominis cap. 7. numer. 50. Castillo tom. 6. contro. cap. 124. numer. 21. Carranza de partu cap. 4. num. 49. Ricciul. de jure person. de Neophitis cap. 7. Frances de Eccles. Cathed. cap. 28. à numer. 105. etsi contrarium teneant plures, quos sequitur Escobar. de purit. 1. part. quæst. 8. §. 3. num. 38. Sunt tamen expositi incapaces officiorum sanctæ Inquisitionis, Ecclesiarum, & Collegiorum, ubi ad sunt statuta requirementia qualitate puri sanguinis, seu nobilitatis, ut probant Lara de Capellanis lib. 2. cap. 4. num. 37. Gratianus discipul. forens. tom. 2. cap. 267. n. 26. Escobar. de purit. sang. p. 1. q. 8. §. 3. per totum, Acunna in cap. si expositus, num. 2.

num. 2. dist. 87. quia licet in dubio expositi boni præsumantur, hac præsumptio nihil operatur, nisi probetur, quando certa qualitas ab statuto requiritur, quia non sufficit quod qualitas ad sit præsumptivè, sed debet probari. Lara d. cap. 4. nu. 39. Velascus de privileg. pauper. p. 2. quest. 65. nu. 200. etsi contrarium probet Dianap. 10. tract. 16. resol. 96. per totam.

9.
Dissol.
vener
dubi
tandi
ratio.

Nec obstat dubitandi ratio supra adducta. pro cuius expositione sciendum est, olim magnam fuisse questionem, ut inquit Plinius lib. 10. epist. 72. circa statum eorum, qui expositi fuerant, & ab aliquo suscepti, & educati reperiebantur: & Trajanus in rescripto, quod extat apud eundem dist. epist. 72. ad consultationem ipsius Plinii, qui Consulatum in Bithynia obtinebat, rescribit similes expositos, licet in servitute fuissent educati, in pristinum tamen, quo nati erant, libertatis statum asserendos, cum æquum non esset, libertatem, quæ inestimabilis est, pretio alimentorum redimi. At hoc rescriptum ad solam Bithyniam pertinuit, & fortè aliæ provinciæ alio jure utebantur, ex constitutionibus anterioribus Imperatoris Constantini, qui in l. i. C. Theodos. hoc tit. l. unic. C. Theodos. de his, qui sanguinolentos acceperunt, constituit, ut cujuscunque conditionis esset is, qui expositus fuisset, dominio ejus cederet, qui sustulisset, & ejusdem arbitratu, vel tanquam ingenuum, vel tanquam servum posse retineri: quam legem primam intelligendam quidam existimant quoties educator expositum de voluntate domini, vel patris collegerit. Quare illa verba, quicumque puerum, vel puellam projectam de domo patris, vel domini voluntate, scientiaque collegerit, ita interpungenda credit Cironius in parat. ad hunc tit. ut post verbum, scientiaque apponatur virgula; quasi dicat Constantinus, ut quicumque collegerit puerum, vel puellam projectam de domo patris, vel domini, voluntate, scientiaque, pro filio aut servo habere possit. Faciunt Firmicus lib. 7. cap. 1. Expositi nutriuntur laqueis servilibus implicati. Seneca contr. 33. Expositi in nullo numero servi sunt, hoc legum latore visum est. Verum Justinianus in d. l. ult. C. hoc tit. Novella 153. ab hoc jure recessit, & constituit eos, qui sic collecti essent, in libertatem vindicandos, etiamsi servi nati essent, nec in his jus ullum educatoribus quæri, ne quasi mercimonio contracto viderentur pietatis officium gessisse. Præcipue quia plerique infantes excipiebantur, & colligebantur, non tam obtentu misericordiæ, quam ut postea ætate provecti ad quæstum meretricium, & prophanam adhiberentur: quod in seclatatur Justinus Martyr in apolog. 2. ad Antonium Pium, ibi: Primum quidem, quod omnes fere videamus ad quæstum meretricium educari, atque produci, non puellas modo, sed & masculos expositos. Similiter Gregorius in præfati abrogavit jus antiquum Concilii Valensii, & Arelatensis, & statuit ut pater, qui neglecto pietatis officio liberos exposuerit, patria potestate cadat, nec qui eos suscipit, aliquod jus in eis acquirat: & ita juxta hanc temporum distinctionem exponendi sunt canones supra relati, & similiter textus in dist. l. patrem 16. C. de nuptiis, quæ procedit ante novam constitutionem Justiniani, ut docuit Cujac. l. 16. observ. 5. 36. et si pleasteri textum eum accipiat ad titulum Codicis de nuptiis, & infantibus expositis, & verus formula, quæ extat post formulas Marculfi, edita à Bignonio, & supra relata.

Adhuc supra tradita assertioni opponi potest IO. textus in can. 6. Concilii Matiscon. in illis verbis: In hoc sancto Concilio decretum est, ut natusquisque Presbyter in sua plebe publicè annuntiet, ut si aliqua femina clanculo corrupta Matifconceperit, & pepererit, nequaquam diabolo concitante filium, aut filiam suam interficiat, sed quocunque prævalet ingenio, ante januas Ecclesiæ partum deportari, ibique poni faciat, ut coram sacerdote in crastinum declatus, ab aliquo fidei suscipiatur, & nutriatur; & talis ex causa homicidii reatum, & quod majus est, parricidium evadat. Nam qui filium, aut filiam interficit, parricida omnimodis tenetur. Referunt Burchardus lib. 3. Decreti, cap. 200. Carnotensis p. 3. Decreti, cap. 252. Ex quo textu expressè deducitur, parentes liberos exponentes pœnis parricidarum teneri. Igitur non rectè Gregorius in præfati docet, Patres tantum privari patria potestate, nullâ factâ mentione pœnæ corporalis, quâ patres afficiendi sunt exponentes liberos proprios. Pro cuius difficultatis solutione dicendum est, parentes liberos exponentes, atque ita eorum educationem negligentes, regulariter extra ordinem puniri, ut constat ex verbo Animadversionis, quo utuntur Imperatores in l. 2. C. de infantibus expositis, & ex l. penultim. C. de patria potestate. l. 1. §. pœna, ff. de liber. agnos. nam si tutor, qui per mendacium negat pupillo alimenta, deducitur ad Præfectum urbis puniendus, l. 3. §. sed si non latret, ff. de suspens. tutor. quæto magis puniendi sunt parentes, qui filios exponendo, omnino illis alimenta denegant. Circa pœnam autem illis imponendam sequentes casus distinguendi sunt. Primus est, cum infans expositus inde mortuus est, quo casu punitur exponens legibus Cornelia & Pompeja tanquam sicarius, & parricida. Hic enim verè locum habet sententia Ulpiani in l. 15. ff. ad leg. Corneliæ de sicariis, ibi: Nihil interest occidat quis, an mortis causam præbeat. Nec non illud Pauli in l. 4. ff. de liber. agnos. cend. Necare videtur, qui abjicit, & alimenta denegat. Idemque dicendum est, si in solitudine parentes filios exponant, ut fame moriantur, aut ferarum lanatu pereant, etiamsi mors non contingat, quia utique quantum in se fuit, nihil defuit operi, quando avibus, & feris jam filium occidendum exposuerant. Unde Seneca declamat. 10. ait: Curatis quis ex solitudine infantes auferat perituros, nisi auferantur. Laetantius lib. 7. divin. instit. cap. 20. Non possunt innocentes existimari, qui viscera sua in prædam canibus objiciunt, & quantum in ipsis est, crudelius necant, quam si strangulassent. Et statim: Tam nefarium est exponere, quam necare. Quintilianus declamat. 106. Karum est, ut expositi vivant: caducum circa initta animal homines sumus, nam ferarum, pecudumque fœtibus est statim ingressus, & ad ubera imperis: nobis tollendus infans, & adversus frigora nutriendus. Sic quoque inter parentum manus, gremiumque nutricis sepe labitur; unde nobis tanta felicitas, ut ad infantem mors accersita non veniat? Vos ponite ante oculos puerum statim neglectum, cui mori domi expedit, inde nudum corpus sub calo inter feras, & volucres. Tertul. in apolog. cap. 9. ibi: Crudelius in aqua spiritum extorquetis, aut frigore, aut fame, & canibus exponitis. Minut. Felix in Octavio: Dum etiam domi natos, aliena misericordia frequenter exponitis. Hinc Donatus ad illud Terentii in Heautont. act. 4. scena 1.

*Hic profecto est annulus, quem ego suspicor
Hunc, quocum exposita est nata*

Subdit: *Exponere est morti tradere, & obicere.*
Eodem sensu in actibus Apostolorum capit. 7.
vers. 19. dicitur: *Exponere infantes tuos, ne vivi-
ficarentur.* At nobis lib. 8. advers. Gent. ait: *Vos
enim video procreatos filios nunc feris, & avibus
exponere, nunc adstrangulatos misero mortis gene-
re illudere.* Facit Ovidius in Epist. Canacis ad Ma-
carium:

*Iamque dare parvum, canibusque, avibusque,
nepotem*

Iusserat, in solis desititque locis.

Vagitus dedit ille miser, sensisse putares,

Qua quis suum poterat voce rogabat avum.

Quid mihi tunc animi credis germane fuisse?

Nam potes ex animo colligere ipse tuo.

Cum mea me coram silvas inimicus in altis

Viscera montanis ferret edenda lupis.

Quid puer admisit tam paucis editus horis?

Quo laetit factis vix bene natus avum?

Si potuit meruisse necem, meruisse putetur:

Ab miser admissis plebitur ipse meo.

Eadem pena capitis puniuntur parentes illi, qui
etsi non in solitudine, in olla infantes exponunt;
nam & facile intercludi posset spiritus tenellus,
& negligi à prætereuntibus in vili testa condi-
tus, ut resolvit Ant. Matthæus *de criminibus ad
lib. 48. Digest. iii. ultim. cap. 2.* Secundus casus
contingit cum amoris vi victæ feminæ, seu alte-
rius libidini obsequatur, & metu ignominie ad-

actæ partum exponunt, ut plerumque continge-
re, aut pudoris, aut decoris servandi causâ con-
stat ex Aristophane *in nubibus*, Calphurnio Flacco
declamat. 49. ibi: *Veniet ad nos prava mulier ac-
cusatura pietatem; infantem adhuc iussit feris ca-
nibus, & diris alitibus exponi.* Ex Plauto de
Cistellario scena 3.

At illa quam compresserat

Decimo post mense ex alto huic peperit filiam.

Paternum servum sui participat consilii:

Dat eam puellam ei servo exponendam ad

necem;

Is eam projicit.

Quo casu mitius puniendæ sunt, cum talis metus
cadat etiam in constantes viros, l. isti 8. §. penult.
ff. de eo, quod metus causâ: quanto magis in timi-
das puellas? Docent Jul. Clarus lib. 5. sentent. §.
final. q. 83. Menochius *de arbit. casu 396. num. 7.*
Tertius casus est, cum pater filium exposuit non
in solitudine, sed in hoc loco publico aliorum
misericordie; quo casu cum mors sequatur non est,
tantum in eo puniuntur patres, ut exinde priven-
tur patria potestate, quam in filios habebant.
ex præfenti Gregorii constitutione. Tandem si pa-
rentes filios exponant ob summam egestatem, quæ
laborant, & omnino non deserant, sed ponant in
Xenodochio, aut simili loco publicè deputato ad
exponendos similes infantes, nullâ penâ affici-
untur, ut cum aliis resolvit Velafcus *de
privileg. pauper. 2. p. quest. 65.
numer. 207.*

TITULUS XII

De homicidio voluntario vel casuali.

CAPUT PRIMUM.

In^a Exodo.

SI quis per industriam occiderit proximum suum, & per insidias, ab altari
meo evelles eum, ut moriatur.

NOTÆ.

- I. ^a **E**xodo.) Ita etiam legitur in prima colle-
ctione, *sub hoc tit. cap. 1.* & reperiuntur
verba hæc in cap. 21 Exodi, ubi legitur *volens*:
quod verbum cum omisum fuerit in hac sexta col-
lectione, attendi non debet. Quatenus autem præ-
ceptum hoc legis veteris servari, suscitarique pos-
sit, exposui in cap. translato, *de consil. & expli-
cat Alberic. Gentilis de libris juris can. cap. 5.*

COMMENTARIUM.

2. **V**arias hujus textus interpretationes adduxe-
runt repetentes in præfenti, & Joannes Brun-
nellus *adhunc textum*, ex quibus Panormitanus,
quem sequuntur Gutierrez lib. 1. *præct. quest. 2.
num. 4.* Visquerus in tract. *de immunit. Eccles.
num. 41.* Sarpus *de jure asylorum*, Sanchez *tom. 2.
consil. lib. 16. cap. 1. dubio 9.* & alii, quos refert

Castillo à Bobadilla *in sua polit. lib. 2. cap. 14.
num. 13.* accipiunt textum hunc de clericis, qui
ob homicidium voluntarium evellendi sunt ab
altari cui peculiariter ipsi mancipati sunt, ut ul-
timo supplicio afficiantur: sed meritò eos referen-
tibus plures congesti à Barbosa *in præfenti*, Mar-
quez *in suo gubernat. cap. 12. §. unic.* Delbene *de
immunit. Eccles. cap. 16. dubit. 2. sect. 1.* & convin-
citur ex ipsius textus facti contextura, ubi gene-
raliter, & indistinctè agitur de homicidiis vo-
luntariis, & per insidias perpetratis. Quare nulla
est ratio accipiendi generalia hæc verba de cle-
ricis tantum. Deinde quia clerici, etsi atrociori-
bus enormitatibus dediti sint, nisi prius degrada-
ti, non traduntur Curie seculari, immò & in
hoc casu homicidii per insidias perpetrati, cleri-
cum non posse per iudices seculares ab Ecclesia
extrahi, docuerunt Bernardus Diaz *in praxi
cap. 90. & 115.* Covarr. *lib. 2. var. cap. 20. num. 7.*
Anal. Germonius *de sacror. immunit. lib. 3. c. 16.
num. 91.*